



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

18. Hugo de Sancto Victore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

necessario malis, nec ullo modo potest sur-
 gere: Nescio quo pravo & malo modo ipsa sibi volun-
 tas peccata quidem in determiuata, necessitatem
 facit, ut nec necessitas cum voluntaria sit, excusare
 valeat voluntatem, nec voluntas cum sit libera, exclu-
 dat necessitatem. Ipsi enim necessitas hoc quodam-
 modo voluntaria. Docet necessitatem quae vis
 est, hoc est, ut Augustinus, quae etsi nolimus
 esse: id quod potest, repugnare libertati.
 Iamque vni a natura solus homo non patitur, & ideo
 solus inter animalia liber. Cui mox annectit id
 quod iam ante citauimus. Quod enim volunta-
 riam & liberam. Docet hanc necessitatem ita
 non cadere in voluntatem & libertatem, ut
 contradictio, si in eam caderet, sequeretur.
 Nam cum docuisset liberam voluntatem esse,
 qua feruus peccati, & surgere iam non potens
 in peccato detinetur; obicit libi: Time volun-
 tatem dicit, quod iam necessarium constat esse? Ve-
 ram est quod voluntas seipsam addixerit, sed non ipsa
 se retinet, magis inuictum & nolens, id est, invita
 & coacta. Quod est ipsillimum argumentum
 quo recentiores fatigantur, quo scilicet pacto
 liberum quae esse peccatum, si gratia surgen-
 di denegetur? Respondet igitur: Bone hoc
 saltem dat quae retinetur. Sed vigilanter retine vo-
 luntatem esse quam retinetur facere. Itaque volun-
 tatem nolentem dicit? Id est, coactam, invitam
 per illam necessitatem, quam praetexebas?
 Non utique, inquit, voluntas retinetur non volens.
 Voluntas enim volentis est, non nolentis. Quod si vo-
 lens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicit? Ser-
 uam se fecit. Sed si libera, si non ad hoc facit,
 Facit autem in eadem seruam se retinet. Et quo-
 modo se adhuc seruam voluntas facit? Neque
 enim non volens voluntas retinetur: voluntas enim est:
 ergo quia volens seruam seipsam fecit, non modo fecit,
 sed facit. Quibus statim annectit concludendo
 id quod supra allegauimus; Non ergo parum
 feruenter vs, quod & necessitas. Porro ubi voluntas
 in & libertas & c. Quae sane ipsillima est do-
 ctрина Augustini, ut suo loco traditur sumus,
 & manifestissimum facit, voluntatem hoc ipso
 quo voluntas est, esse liberam, & contradi-
 ctionem esse manifestam, voluntatem esse non
 liberam, etiam illam quae mutari non potest,
 ipsa maxima & firmissima voluntas est. Quo
 nihil efficacius proferri posset, ut probei vo-
 luntatem, siue hominum peccatorum, siue
 de monum, qua indeclinabiliter semetipsum
 amant, siue Angelorum Deum in clara vilio-
 ne diliguntium, esse liberam voluntatem, sicut
 hoc ipso in libro de gratia & libero arbitrio

commendauerat.
 Haec ex sancto Bernardo tam prolixè ope-
 roleque deducenda esse censui, ut omnibus ad
 oculum liqueret, eum nullam omnino necessi-
 tatem à libertate semouisse, nisi eam quam
 Augustinus dicit, non esse in potestate nostra, sed
 etiam si nolimus, efficit id quod potest. Qualis est
 omnis necessitas violentiae, & coactionis, &
 naturae: illa quippe sequitur impetum suum,
 & quantumvis remittente voluntate facit esse
 factum suum. Qui sane sepius ita manifeste in
 toto libro sancti Bernardi quem de gratia &
 libero arbitrio condidit & in singulis pene
 periodis lucet, ut omnes pene veteres Scho-
 lastici eum in diui Bernardi scriptis agno-
 uerint candideque facti fuerint, & plerique eius
 doctrinam suo calculo comprobauerint, Ale-
 xander Halensis, Albertus magnus, diuus
 Thomas, Sanctus Bonaventura, Richardus
 de media villa, Durandus, Thomas de Ar-
 gentina, Gabriel & alij plures, quemadmo-
 dum de plerisque infra dicturi sumus, Mar-
 tilius qui dicit, Bernardum libro suo de libero arbi-
 trio per totum ferè determinare, quod voluntas, nulla
 re possit cogi. Mihi vero, ut in genere loquar,
 non mediocriter admirationi fuit, qui heri
 potuerit, ut plerique Scholastici huius aevi
 illam sancto Bernardo sententiam imposue-
 rint, quod ab arbitrii libertate omnem omni-
 no determinationem ad unum exclusit et-
 iam voluntariam. Nimis protectio est illa
 Scriptoris istius somnolenta lectio. Sed idem
 omnino quod in Augustino & Damasceno le-
 gendo eis tolligit. Verbum enim istud ne-
 cessitatis eis sine dubitatione hallucinandi cau-
 sa fuit. Est enim eum vocabulum istud ex hu-
 jus aetatis & aliquot praecedentium seculorum
 usu, id omne significare solet, quod quoquo
 modo necessario fieri dicitur, siue impetu sic
 ferente naturae, siue violentia, siue firma &
 immobili voluntate fiat, non animadverte-
 runt longe alia significatione ab Augustino,
 Damasceno, Bernardo Magistro Sententiarum
 & pene omnibus eius primis interpretibus,
 in explicanda arbitrii libertate usurpata. Ne-
 cessitas enim apud ipsos impetum & pondus
 quoddam significare solet, odiosum libertati,
 quod nolendo removeri nequeat. Ex quo fit,
 ut non audeant illud voluntati bonae beato-
 rum siue hominum, siue Angelorum, nisi cum
 quadam praefatione ac diminutione tribuere,
 sicut supra diuersis testimonijs ab Augustino
 comprobauimus.

Alex. 2. p.
 q. 72. mem. 2.
 & 2. 5. 2. ad
 prim. & 4. 3.
 § 3. & mem.
 3. a. 3. &
 mem. 4. & 5.
 Et q. 29.
 mem. 1. a. 3.
 & 5.
 Albert. 2. p.
 Summa de lib.
 arbitrii. q. 3. &
 in 2. dist. 25.
 a. 7.
 D. Thom.
 q. 2. de ve-
 ritate a. 8.
 ad 5.
 Bonavent. in
 2. dist. 25. ad
 textum B.
 & q. 1. in
 corp. & q. 5.
 in sol. arg.
 & in 2. dist.
 7. q. 3. in corp.
 Richardus de
 media Villa
 in 2. dist. 25.
 a. 2. q. 1. &
 q. 2.
 Durand. in
 2. dist. 25.
 q. 2. ad 2.
 Thomas de
 Argentina in 2.
 dist. 25. a. 4.
 & dist. 38.
 a. 1.
 Gabriel in 2.
 dist. 25. a. 7.
 ad 4. con-
 clu-
 sionem.
 Martilius
 q. 16. a. 2. in 2.

C A P V T X V I I I.

Hugo de sancto Victore.

HAEC igitur diui Bernardi senten-
 tiam ad unguem, usque ad ipsa ver-
 ba secutus est, & in quibusdam clari-
 us expressit coartatus & amicus
 ejus Hugo de sancto Victore. Nam in primis,

Ain quaestionibus Miscellaneis hoc modo de-
 scribit liberum arbitrium, seu effectum ejus:
 Est in rationali voluntate spontaneus appetitus boni, & non
 qui nec coacto dari, nec invito auferris potest. Vbi
 quod voluntatem rationalem nominat, intel-
 ligere

Hugo de S.
V. 1. in sum-
ma sentent.
tract. 3. 8.

ligere videtur voluntatem quæ cum pleno iudicio rationis operatur, ut motus indeliberati ab actibus liberis separentur. Vides ergo nihil omnino ad actum liberum requiri, nisi ut sit actus voluntatis cum ratione deliberata agentis, spontaneus non coactus. Sed uberius hoc agit in summa sententiarum tractatu tertio, ubi liberi arbitrii naturam ex professo tradit, constanterque docet idcirco esse liberam quia necessitatis expertus est, & necessitatem illam strillatè docet esse vim, violentiam, coactionem: Cum itaque habeamus cum peccatis continentem sensum & appetitum, liberum arbitrium nos ab eis discernit, penes quod omne meritum consistit. Cui enim beatitudinem seu miseriam promeretur, non immerito beatitudinem seu miseriam promeretur. Ingenium quoque & memoria & cetera similia nec iustum nec iniustum constituunt. Et sancti Bernardi verbis sensa sua promens & probans siquidem, inquit, nec tardam ingenium nec labilem memoria imputatur. Sola itaque voluntas quæ semper libera est, & nunquam cogi potest, merito apud Deum iudicatur. Ea semper à necessitate libera est. Vbi enim necessitas, ibi non est libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum. Ecce apertissime oppositam necessitatem libertati, & necessitatem oppositam per coactionem, & idcirco conclusam, sicut & sanctus Bernardus concluderat, ubi est necessitas, ibi non est libertas, & ubi non est libertas, nec voluntas. Quia in eorum sensu sola & omnis voluntas repugnat isti necessitati; quod de simplici & voluntaria necessitate prorsus falsum est.

Secundo itaque, ne quis verba Hugonis & Bernardi quaqua via in alium sensum raperet, auctores ipse suspensiones prævenit. Nam sequenti statim capite rem accuratius explicans celebrem illam divisionem ponit à Bernardo traditam, & à Magistro receptam, & ab omnibus Magistris interpretibus uniformiter explicatam. Est namque triplex libertas, à necessitate, à peccato, à miseria. A necessitate & ante peccatum & post æqualiter liberum est. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modo. Et verbis sancti Bernardi rursus utens: Hac libertas æqualiter est in omnibus non minor in malo quam in bonis, tam plena post peccatum sicut & ante peccatum. Quæ Bernardi verba penè omnes interpretes Magistris qui ea citant, de sola libertate à coactione intellexerunt. Quod ut apertius adhuc nobis constaret, & nemini de mente Hugonis superesset ambiguitas, apertissime docet

Tertiò liberum idem esse, quod voluntarium aut spontaneum, non alieno sed suo im-

pulsu motum. Nam in eodem loco, cum neque bonos neque malos Angelos libero arbitrio carere tradidisset, quamvis illi non possint esse mali, neque isti boni, sic concludit: Liberum itaque arbitrium ex eo dicitur quod est voluntarium. Quod enim boni Angeli non possunt esse mali, non facit necessitas, sed confirmata per gratiam voluntas. Quod mali non possunt boni esse, non facit ulla coactio sed voluntas obstinata in malo. Et tamen isti natura & illi mutabiles sunt. Et alibi rursus cum idem omnino tradidisset de bonis & malis Angelis, obiicit sibi: Ad hoc opponitur quòd liberum arbitrium habent, ergo in utramque partem possunt secti. Respondet: Sed inde non dicitur liberum arbitrium, ut in suo loco ostendimus, sed liberum, id est, voluntarium, & boni non necessitate cogente sed libera voluntate à malo abstant, similiter & mali à bono. Ecce clarissime definitum liberum arbitrium esse quia voluntarium, necessitatem oppositam esse voluntati, eam immutabili per penam aut præmium, eandemque necessitatem aliquoties expositam per coactionem.

Hinc quarto ipsam naturam liberi in motibus liberis explicans, nihil aliud ad essentiam eius explicat, quam ut per se suo motu non alieno impulsu vel coactu moveatur: Ex quo autem voluntate moveatur, velle erat, & à voluntate erat, quæ libere movebatur, quia per se movebatur & non impulsu alieno. Et hoc ipsam meritum erat, & vocabatur bonum vel malum, quia liberum erat, & ex se erat &c. Et iterum: Ex quo autem voluntas erat, libertas erat, quia voluntas est libertas, quoniam potens erat per se moveri, ut ultra iret huc vel illuc sine coactione vel adueta vel detenta; quoniam libertas est voluntatis, ex quo est voluntas ipsa in primo principio. Et quasi definitionem liberi arbitrii tradens: Quoniam spontaneus motus vel voluntarius appetitus liberum arbitrium est. Liberum quidem in eo quod est voluntarium, arbitrium vero in eo quod appetitus. Sed & ipsa potestas & habilitas voluntatis est libertas quæ movetur ad utrumque (scilicet bonum & malum) & liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntarie autem moveri & ferri spontaneo appetitu, hoc est, potestate eligere & libertate indicare, in quo consistat liberum arbitrium. Et propter hoc facti sunt liberi arbitrii, ut voluntario appetitu moverentur, sed secundum electionem voluntatis, & inclinationem desiderij sui sine coactione. Non est opus pluribus de Hugonis mente satagere. Tam enim evidenter seipsum explicat, ut si illam sententiam de industria proponere voluissem, non potuissem apertioribus eam verbis promere.